

**1981-05-31 – SS Ioannes Paulus II – Chirographum ‘Comperta Habentes’**

IOANNES PAULUS PP. II

***CHIROGRAPHUM  
COMPERTA HABENTES  
QUO CONSILIUM PATRUM CARDINALIUM  
AD QUAESTIONES ORGANICAS ET OECONOMICAS  
APOSTOLICAE SEDIS EXPENDENDAS CONSTITUITUR***

Comperta habentes gravie Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium consilia atque propositi, quae in conventu Sacri Collegii a die V ad diem IX mensis Novembris anno MCMLXXIX celebrato significarunt quaeque eiusdem coetus participes postea Nobis declaraverunt, ea opportune ad effectum adducere studemus. Inter causas autem, de quibus Sacri Collegii Sodales egerunt, reperitur potissimum quaestio de quibusdam Apostolicae Sedis rebus disposite temperandis necnon de ratione eius oeconomica. Expedire quidem videtur ut eadem causae etiam cum Patribus Cardinalibus, qui per orbem terrarum gregum Pastores sint constituti et universalem Ecclesiam quodammodo repraesentent, accurate excutiantur.

Quae cum ita sint, decernimus atque edicimus ut Consilium instituatur quorundam S.R.E. Cardinalium per terras Archiepiscoporum residentialium, quorum sit – adiutricem operam praebentibus Romanae Curiae ministeriis, ad quae negotia pertinent, maxime vero Praefectura rerum oeconomicarum Sanctae Sedis – quaestiones organicas et oeconomicas eiusdem Apostolicae Sedis expendere.

*Datum Romae, die XXXI mensis Maii, anno MCMLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.*

IOANNES PAULUS PP. II